Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



De renuntiatio Bernhardi per bestias

Cum quoque die quarta bernhardus silvam adiret
Brunello dominum more sequente suum
En leo deposita solita feritate ferinis
Carnibus oblatis annuit ore pede
Sic quoque vicem referens meritis grates quoque rependens
Et sic quacumque potest parte iuvare iuvat
De grege cervorum quod pinguius esse putabat
Attulit et domino contulit ipse suo
Vertice submissa nec dum remeante leone
Venit et in dorso symea ligna ferens
Lignorumque struem prope positam quam prius ipsa
Fecerat ex sicco premia monstrat ei
Quam sibi tollendam se collegisse revelat
Nutibus et signis officiosa suis
Nec semel et iterum fuit hec iterare sed omni
Quo bernhardus adest constituere die
Hec duo cottidie carnes et ligna portata
In nemus adveniens accipiebat ei
Sed neque serpenti labor est impensus inanis
Munera qui modico maxima dona dedit
Nam semel accedens supplex similisque volenti
Si posset grates voce referre sua
Faucibus inclusam gemmam dimisit ab ore
Imposuitque manum suscipientis eam
Ne ve mora faciens faceret collata minoris
Ponderis et precii dona tenore sui
Protinus effugiens doni dantisque favorem
Auget et obtentu fit fuga grata suo

231v